



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata
Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Cur quibusdam iureiurando sit interdictum

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

sum sancte iurant, et eis promittit gratiam fauorem
et salutem. Deut. 5. 10. Esa. 45. Hierem. 4. Psal. 52.
14. Vbi quoq; ex Hieremia obiter notandum quibus
conditionibus iusfirandū fieri debeat, nēpe in iudicio,
in iustitia, et ueritate. Quod et proposito nostro ser-
uit, quod nemo nisi pius iuret, quia is solus in ueritate,
iudicio, et iustitia iurat. Quid quod deus ipse per se=metipsum iurat frequentius? Et Abraham fidei exem=plar regi Abimelech: Paulus pluribus locis: Christus
deniq; non semel Gen. 21, 22, 2. Tim. 4. Ex quo tibi fa=cile scrupus eximi potest, cur deus scilicet iurare ue=tet, nempe ijs qui nō rite iurant, omittentibus ea quæ
ad iusfirandum pertinent, ut Iudeis sāpe prohibet ne
iurent Osee 4. Hierem. 44. Erant enim et ipsi ad ini= tationem Israëlis idolis mancipati, nihil minus reli=giosi et pīj uideri cupientes, falso animo præ se fere=bant gloriam dei, idq; per iuramenti consuetudinem.
Odit uero deus hypocrisim, maxime autem in præci=puo suo cultu, cuiusmodi est iusfirandum religiose
præstitum. Proinde post prohibitam idololatriam, de
iuramento per nomen dei uitando cauet, tum amo=uendæ hypocriseos causa, tum gratia reducendi eos
ad obedientiam. Nam dum audiunt interdictum ipsis,
ne iurent, (uiuit dominus) neq; huius causam audiunt,
cogitatione se ad legem ponant de iureiurando seue=restatuentem Deut. 5. et 10. moxq; deprehendant,

Cur quibus
dam iureiu=brando sit in
terdictum.

LIBER III.

nefas ipsis iurare propterea, quod ex abundantia rea-
rum in obliuionem dei prolapsi, timorem domini, ue-
ramq; animi seruitutem abiecerint. Id quod ex eo ipsis
constat, quia frequentabat interdicta sacra idolorum
in Gilgal et Bethel: facileq; in mentem reprehensis ue-
nire potuit, tum dignos fore iterum, ut iuxta præce-
ptum domini iurent (uiuit dominus) si quando ex be-
neficijs, amplitudine dei quomodo cunq; cōcepta eius
numen reueriti, soli cōperint supplicare ac fidere.
Quem in modum ijs qui ignominia sepulti erāt, quod
ab adolescentia deo non auscultassent per Hieremiam
dominus promittit reuersis ad se reiecta idolatria fa-
cultatem iurandi, dicens: Si reuerteris Israēl, ad mesi
reuerteris, & si semoueris idola à facie mea, tum non
moueberis: et iurabis, Viuit dominus, in ueritate, in iu-
dicio, & iustitia, Hierem. 4. Hoc ergo loco uides fa-
cultatem iurandi fieri ijs, qui ad dominum sunt con-
uersi, qui dum iurant ad utilitatem proximi, pro rei
ueritate, declarant se dei esse: adeoq; illos ob benedi-
ctionem domini propter legem custoditam (Nam iura-
mentum custodia legis est) prophanis quoq; gentibus
admirationi fore, promittit.

Diuina ergo res est ius iurandum, sacra anchora ad
quam confugitur quum humana sapientia ultra pro-
gredi non potest: quis enim nouit quid sit in homine
nisi solus deus? Hunc ergo prodit qui falso per illum
peicerat.